

4490 Q.K.358,18.

(K1904407)

E 210

DUCE LUMINE ac NUMINE  
*τελουρίσα*  
Et  
Permittente Amplissimo Philofo-  
phorum Ordine  
DISSERTATIO PHYSICA  
De  
DRACONE  
VOLANTE,

Qvam

Exercitii Academicici loco

PRÆSIDE

Dn. M. DAVIDE ULMANNO,

Islebiò Saxone,

Fautore atq; Amico suo honoratissimo,

*Πολιτείας Φιλοσοφίας εξετάσιον*  
Publicæ placidæ, subjicit

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA

DANIEL Lindner / Numburgensis,

Philosophiæ & Bon. Art. Baccal.

Ad d. IX. Junii, ANNO M. DC. LXXI.

H. L. Q. C.

LIPSIÆ  
STANNO JOHANNIS GEORGII.



V I R O

Magnifico, Maximè Reverendo, Amplissimo  
atqve Excellentissimo

DNO. MARTINO  
GEIERO,  
S.S. Theologiæ Doctori, Theolo-  
go de totâ Ecclesiâ Christianâ, qvæ his in terris col-  
ligitur benè meritissimo ac longè celeberrimo, Serenissimi E-  
lectoris Saxoniæ Concionatori aulico Primario, Confessio-  
nario & Consiliario Ecclesiastico, undi-  
qvaq; eminentissimo.

Dominino Patrono, Promotori ac  
Mœcenati Optimo, Maximo.

Hasce exiguae pagellas Physicas cum  
summâ omnigenæ prosperitatis  
appreciatione

submisissimè ac humillimè

offert

Daniel Lindner/  
A. & R.



Προσύλιν.

I novellis relationibus, uti quidem  
hâc in re putamus, fides habenda, ingens *Meteororum* præteritâ hâc hyeme diversis in locis  
extitit multitudo: audita sunt in Germania no-  
strâ tonitrua horrenda, conspecta fulgura & ful-  
mina dira & iracunda, relati ex Italiâ terræ mo-  
tus tremendi, ex totâ fermè Europâ tumultuan-  
tes venti & nivis loco pluviae fermè continuæ. Miracula hâc o-  
mnia causas *Meteororum* ignorantibus, fermè visa sunt, cum e-  
jusmodi meteora, hyberno aliâs tempore insolita, vere potius,  
æstate & autumno contingere soleant; Verùm enim verò qvo-  
niam hyems anno hoc à statu suo naturali paulisper recessit, ita  
ut propter frigus remissum aeremq; temperatum terra aperta-  
nec frigore constricta plurimas exhalationes, meteoris materiam  
suppeditantes, æq; ac solitis temporibus emittere potuerit, mi-  
rum non erit, si & hoc tempore plura contigerint meteora, adeò  
ut, qvod ad tonitrua & fulmina attinet, opus jam non sit, uti aliâs  
Physici solent, statuere, exhalationes in æstate collectas in nubi-  
bus permansisse & hyeme demum in meteora hâc ignita proru-  
pisse. Interim verò non negamus planè, fieri potuisse, ut etiam vis  
supernaturalis qvandoq; adfuerit, possemusq; præteritæ hyemis  
meteora nonnulla appellare mixta, sive media inter ordinaria &  
extraordinaria, i. e. talia, qvæ contigerint causis partim ordina-  
riis & naturalibus, partim extraordinariis & supranaturalibus, qvæ  
causas naturales intenderint ad vehementiores gravioresq; effe-  
ctus producendos, qvàm per naturam isthoc tempore fieri po-  
tuisset. Qvicquid autem hujus rei sit, Meteororum horum fre-  
quentia nos movit, ut proposuerimus nobis aliquid de iisdem pu-  
blicat

A 2

blicæ disquisitioni sistere. Constitueramus quidem ab initio in genere de Meteoris disputationem conscribere; at enim verò cum propter materiæ prolixitatem nobis nec tempus nec sumptus suppetierint, de unico meteoro ignito, non adeò infrequenti, *Dracone Volante* agere placuit, præcipue cum hâc de materia pauci sint, qui scripserint, & de reliquis ferè omnibus hîc loci publicè non ita pridem disputationes habitæ, de hîc autem, quantum nobis quidem constat, nulla. Tractationem quod attinet, considerabimus, præmissâ Homonymiâ, *Draconem Volantem* tum naturaliter, & quoad causas suas, tum præternaturaliter, quatenus Diabolus non nunquam eô abuti solet. Faxit Deus, naturæ Autor, ut cedat feliciter!

### §. I.

**Q**uod partem Onomatologicam Thematis nostri attinet, nolumus hîc esse operosi, cum nimia non nullorum in Disputationibus, præsertim non Philologicis, prolixitas à quibusdam rectè improbari soleat. Prætermissâ itaq; Etymologia & Synonymia, anteqvam ad rem descendamus ipsam, pauca quædam Homonymiam concernentia trademus.

*Vide integrum Schuven facili. Illi, quomodo ex chartâ constructi aëri committantur & ter. in Deli-* §. 2. Duplices sc. dantur *Dracones volantes* arte & natura multis enarrare opus haud est, cum & vulgo ejus structuram notam esse constet. Hoc solum commemorare libet, quod ejusmodi *Draconis volantis* beneficio captivi in India Jesuitæ Barbarorum manibus sint crepti, à quibus eos nec preces, nec minæ liberare potuerant.

§. 3. Machinam nimirum quandam è chartâ confectam, Draconis ignei formam, (quia accensam candelam chartæ oleo, rubroq; & igneo colore tinctæ incluserant,) referentem nocte profundâ in aëre exhibuerant, magnô Indorum hujus rei ignarorum stupore & metu, præcipue quoniam non solum sesquipedalibus literis verba hæc: IRA DEI Draconis lateribus inscriperant, sed & Draco ignem ante & retrò propter jacula pyria, sive ut vocant, rochettas collo & caudæ applicatas evomebat, unde & barbari, quibus Jesuitæ, ni se dimitterent, iræ divinæ signum in aëre

aëre apparitum, prædixerant, metu fermè exanimati, illos car- *Kircher. T.*  
ceribus exemplò exemptos obnoxè orarunt, ut precibus suis i- *II. mundi*  
ram divinam averterent, qvâ de re legatur Kircherus. *subter. Lib.*

S. 4. Huc prætereà illud qvoq; pertinet, qvod à Strabo- *XII. sect. V.*  
ne, teste Cluvero, nobilissima terræ pars, Europa, sub Draconis vo- *P. IV. cap.*  
lantis scheme exhibeatur, cuius *caput Hispania, collum Gallia-*, *VIII. p. 479*  
*alæ dextra levaḡ Italia ac Cimbrica Peninsula, quemadmodum*, *Cluv. L. II.*  
qvod obiter subjungimus, nostro ævo fœminæ species ei attribui- *c. 1. Intro-*  
tur, cuius *caput itidem Hispania, collare sive torques montes Pyre-* *duct. in uni-*  
*næi, pectus Gallia, Brachium dextrum Italia manu tenens Siciliam, versam Ge-*  
*Sinistrum Britannia, venter Germania, umbilicus Bohæmia, reliquas ographiam*  
regiones latè circa sedem diffusæ vestes repræsentant. *p. m. 25.*

S. 5. Naturales Dracones qvod concernit, sicut sunt sese illi  
nobis iterum in duplii differentia, quidam enim sunt animalia,  
quidam meteora.

S. 6. Magna quidem, *Kirchero* teste, inter Autores de  
Draconibus alatis seu volantibus est controversia, utrum nimi- *Kircherus I.*  
rum ejusmodi animalia in rerum naturâ extent, unde & seipsum-  
diu multumq; hâc de re ancipitem hæfisse fatetur, donec tandem *c. Lib. VII.*  
è variâ Autorum, omni exceptione majorum, lectione, qvin & o-  
culatorum virorum testimonio, ab hâc dubitatione se removeri pa- *Sect. IV. C.*  
sus sit, hinc l. c. aliquot tum *auritos*, tum *oculatos* profert testes. *II. p. 87. seqq.*

S. 7. Uti autem nobis de arte factis Draconibus nullatenus  
est sermo, ita nec de his, qui sunt animalia, sed tantùm de illis, qui  
sunt meteora. Paracelsus quidem, uti habet Fromondus, hunc *Fromond.*  
Draconem, quem Meteorum esse dicimus, animal qvoq; igneum es- *Lib. II. Me-*  
se censet, natum in Elemento ignis, ut muscas in aëre, pisces in a- *teorol. c. 3.*  
qvâ, vermes in terrâ, dicitq; brevis esse vitæ uti Salamandras; ve- *Artic. 1.*  
rum bonus ille Paracelsus multa dicit, nihil probat, cumq; hâc  
ipsa absq; omni probatione proferat, labore refutandi ejusmodi ri-  
dicula asserta nos levavit.

S. 8. Possemus hîc, dum de Homonymia agimus, multa  
prætereà adducere de draconibus non alatis, de quibus idem lauda- *Schot. Phys.*  
tus *Kircherus* loco allegato & famigeratissimus *Schottus* satis pro- *curios. in Ap-*  
lixè agunt: Dracone item marino: Dracone Babylonico à Da- *pend. L. VII*  
niele interempto: Dracone Apocalyptic: Dracone antiquis- *seqq. c. 1.*  
simō *seqq. p. 1152.*

*Id. L. X. c.* simo Atheniensium Legislatore, cuius leges, Demadis judicio, san-  
13. p. 1011. gvine, non atramento scriptæ, imò, Aristotelis effato, non ab homi-  
*Dempster.* ne latæ, sed Dracone: *Dracone*, Anglo pirata, qvi totum circum-  
*ad Ros. An-* navigavit orbem: *Draconibus* signis Romanorum militaribus: *Dra-  
tiquit. Rom. cone* Ægyptiorum, ore caudam tenente ad motus astrorum reci-  
*Lib. X.c.29.* procos & vicissitudines exprimendas, qvo annum effinxerunt.  
*Paral. 2. p.* Verùm cum hâc in re nobis displiceat tractatio prolixa, ad *Draco-*  
1719. *nem volantem*, meteoron nostrum, reliqvis omnibus, nos ac-  
*Id.ad L.IV.* cingimus illud ex promisso nostro consideraturi *tùm* naturaliter,  
*c.IV. p.540.* *tùm* præternaturaliter.

§. 9. Naturalem considerationem hōc de meteorō dari posse, sunt etiam ex Physicis qvi negant, qvando statuunt, ejusmodi *Draconem* spectrum potius diabolicum, qvàm naturæ opus esse, eò qvod Cacodæmon strigibus & lamiis suis hâc formâ apparere secumq; pecuniam, fruges, vitæq; subsidia alia apportare soleat, cum tamen distingvere debeant inter Meteoron, & Diabolum meteoro hoc permisu DEI abutentem. Ταῦτα μέρη qvidem largimur sæpenumerò Diabolum subesse, sed hoc in casu non magis *Draco volans* effectus naturalis esse desinet, qvàm homo obseßus à Dæmone corpus naturale.

§. 10. Qvæ cum ita sint, naturales ejus causas scrutabimur. Definimus autem prius *Draconem* volantem meteorum ignitum è fumo pingvi caloris vi extracto, & ita compacto, ut veri draconis formam repræsentare videatur.

§. 11. *Draconem volantem*, prout qvidem eum hīc consideramus, meteoron, adeoq; naturæ, non Diaboli opus esse, non solùm ex supra dictis §. 9. patet, sed & ex seqventibus patebit. Rectè igitur in Definitione Generis loco posuimus, qvod sit Meteorum & qvidem ignitum, ut à reliqvis hoc nostrum distingvatur.

§. 12. Differentia à Materiâ, Efficiente causa instrumen-tali & forma desumta est. Materia est fumus. Notum alias Meteororum materiam à Physicis in genere statui exhalationem, qvam in vaporem & fumum dividunt. Vapor, meteoris aquæs materiam subministrans, definitur exhalatio calida & humida, ex aquâ proveniens, qvemadmodum fumus, materia aereorum & ignitorum, exhalatio calida & sicca è terra ortum trahens.

§. 13.



§. 13. Dum diximus, vaporem ex aquâ, fumum è terrâ o-  
rir, ineptientem iterum rejicimus *Paracelsum*, qui, notante Fro- Fromond.  
mondo, vult Meteora siderum esse fructus uti poma arborum, unde Lib. I. Me-  
& stellas phialas & cucurbitas appellat, in quibus Sal, Sulphur & teor. c. 3.  
Mercurius, *Meteororum*, uti & aliarum rerum ex ipsius sententia,  
materia, contineatur, sed refutatione hoc ipsum tanquam ineptum  
non indigere censemus.

§. 14. Similes autem exhalationes, similes vapores & fu- Keckerman  
mos illis, qui è terrâ & aquâ Solis & ignis subterranei calore exci- L. VI. Syst.  
tantur, in nostris culinis deprehendere datur, siquidem docente Keckermanno, Phys. c. 8.  
quod Sol est mundo, id ignis est in culinâ: Sic va- theor. s. de  
por cernitur in ollarum aquâ plenarum, quibus ignis subjectus, o- fumô p. 631.  
perculis; aqua enim igni admota in vaporem protinus resolvitur,  
qui postmodum in operculo collectus in aquæ guttulas iterum co-  
gitur & densatur, aut si olla vel ahenum nullo operculo tegatur, fu-  
mate cernitur & evacuatur; Sic vapor hypocaustorum calefacto-  
rum fenestrâ adhærere solet, in vesicâ quoq; à rupiâ cernere pote- Sperling. L.  
ris, si nimis aliquot aquæ guttulas ei instilles, obstrictoq; collo V. Instit.  
calenti fornaci admoveas, inq; frigidum locum reponas, idem vapor  
in aquæ guttas redibit. Fumus est sicca illa & mordax exhalatio è  
ligno proveniens, aliisq; rebus siccis.

§. 15. Dicitur autem fumus exhalatio sicca, non ac si omnis  
humiditatis sit expers, quomodo enim siccum sine humido cohæ-  
rere & meteororum formam recipere posset? Sed in respectu ad  
vaporem in quo humiditas major. Siccum itaq; h. l. nobis idem est,  
ac exiguo humore praeditum.

§. 16. Fumus porro est duplex, pinguis è terrâ pingui, par-  
tes tenaciores habens, & minus pinguis ex aridiore terrâ, cuius  
partes leviter cohærentes in ventorum abeunt flatus, sed ille mete-  
oris ignitis & sic nostro quoque materiam præbet, ita ut ventorum  
materia fit permanens, Meteororum ignitorum transiens. Transit  
enim hic fumus in ignem, atque hinc debet esse pinguis, si enim  
absq; pinguedine esset & humore oleari non ita facile accendere-  
tur exemplo cinerum.

§. 17. Plato quidem, testantibus Conimbricensibus, fo- Conimbr. in  
lum vaporem Meteororum materiam agnoscit, eò quod terra, Lib. Mete-  
or. Arist.  
è aquâ Tr. I. c. 3. p. 1.

è quā fumum prodire diximus, propter siccitatem suam in nullos halitus resolvi queat; Sed redarguit eum experientia, quā ab aliis etiam siccissimis corporibus, mediante igne, fumos elevari & emitti constat, puta charta, pipere, thure, sulphure, pulvere pyrio &c. unde non est, quod terræ propter siccitatem exhalationes denegemus.

Schottus L. §. 18. Quemadmodum autem Plato unicam tantum statu XI. Phys. it exhalationem, ita Schottus nec duabus contentus, quā pluri Curios. P. I. mas statuit species. Peripatetici, inquit, duas tantum halituum, c. i. §. IV. qui meteoris materiam præbent, species constituant, aquam sc. & terram; Ego vero existimo, tot esse halituum sive effluviorum differentias, quot sunt rerum species, è quibus oriuntur. Non terra tantum, pergit, sed & res aliae ut flores, fructus, vina & quævis alia mixta calore seu solis, seu subterraneorum ignium agitata ac resoluta emittunt in aera effluvia sua, quæ aliud non sunt, quā corpuscula quædā minima instar atomorum, & sublata agitantur ac inter se permiscuntur. Deniq; concludit membro 5. hujus §. non vapores tantum & exhalationes (fumi) sunt meteororum materia proxima, sed quarumvis rerum effluvia seu corpuscula, quæ è rebus abscissa in altum evolant: ut enim aquæ & terra, ita & quarumvis aliarum rerum effluvia in nubes, in pluvias, in fulmina, in alia meteora conflantur.

§. 19. Sed bene habet cum dissentiente Schotto, siquidem ipse conciliationem quandam addit, & responsionem, dum dicit. Quod si Aristoteles & Peripatetici vaporum & exhalationum (fumarum) nomine intelligunt quorūvis humidorum ac siccorum effluvia, ab iis non dissentimus: Revera enim duo tantum sunt effluviorum genera, quæ ascendunt, humidum seu aqueum & siccum seu spirituosum. Ita enim omnino est. Per vaporem enim Peripatetici nihil intelligunt aliud, quā exhalationem aquam, quæ præsertim ex aquā, deinde etiam è corporibus mixtis humidis extrahitur, sicuti per fumum exhalationem siccum è terrâ præprimis & corporibus mixtis arantibus elevatum.

§. 20. Atque hæc de materia. Solent alias nonnulli præter materiam ex quā etiam materiam in quā seu subiectum locum, ubi meteora existunt, definitionibus infarcire; Verum cum in his non existentia, sed essentia spectetur, meritò à nobis omittitur. Nihilominus tamen in definitionis explicatione illam possumus w̄s ērēgoðw̄ addere.

§. 21. Est



§. 21. Est nimis *Draconis* materia in quâ aer & qvidem infima ejus regio. Licet enim fumus, ejus materia, sit calidus & accensus, atque propter hanc accensionem levis, sed tamen, qvia insimul propter pigvedinem, qvam ei adscriptimus, gravatur, ultra tendere vix poterit, cuius rei indicium esse potest, qvod subinde culminibus ædificiorum, caminis item, nec non tectorum fenestris adhætere conspicitur.

§. 22. Causa efficiens fumi, & conseqventer *Draconis* est calor tam cœlestis, cum reliqvorum astrorum, tum præcipue solis, quam subterraneus. Non ergo facimus hîc cùm *Danæo*, qui Deum *Danæus* P. 2 solum meteororum omnium causam, adeoq; solem ineptè ab Ari- *Phys. Christ.* stotele assumtum esse statuit. At enim verò in *Physicis ad DEUM*, Tr. 2. c. 19. causam supernaturalem, non statim configiendum, nisi omnis aditus in naturalibus sit exclusus. Licet enim Deus, omnium rerum Autor & Effector, neutiquam sit excludendus, qvia tamen generaliter tantum ut causa prima & universalis concurrit, & per causas particulares seu secundas à se creatas ordinariè agere solet, hæ ipsæ scrutandæ sunt & investigandæ.

§. 23. Neq; facimus hîc cum Petro Gregorio Tholosano, qui *Tholos. in Synt. artis absq; ratione exhalationum seu fumorum elevationem hominibus in locis illis, ubi exhalantur, ambulantibus adscribit. Sanè qvâ *mirab. Tom ratione id fiat, exponere haud erit facile. Terra potius, dum cal- 2. l. 35. c. 20. catur, magis constringitur, qvâ ut ad fumos emittendos aperiatur. Accedit, qvod & in locis, ubi nemo ambulavit, fumi cernantur, siqvidem *Vaporarium magnum mundus est, nec ullum facile repe-* *Sperling. L. rire licebit angulum, qui non qvendam vaporum aut fumorum exhibeat cumulum, inquit Sperlingius,* *V.c.3. Instit Phys.***

§. 24. Manet itaq; vera fumi causa uterq; qvem dedimus, calor. Hic enim terram pervadens eam aperit, subtile parts à crassis residentibus rarefaciendo separat & elevat, ut instar fumi adscendant. Principem tamen causam solis calorem dicimus. Licet enim plurimi & maximi sub terrâ lateant ignes, (ut patere aliquo modo potest ex fontibus calidis, seu thermis, qvarum fervor ab igne subterraneo ortum trahere creditur, evidentissimè autem è montibus Vulcani, qvales sunt Aitna, hodiè *Gibel* in Siciliâ; Vesuvius, hodiè *monte di Soma* in Campaniâ; Hecla & Helga in Islandia,

*Agric. in L. dia*; montes in Insulis Moluccis & America qvam plurimi) qviter-  
de ortu sub- ram & aquas præterlabentes calefaciunt, & magnos vapores atq;  
terr. fumos per venas & rimulas in apertum exspirant, attamen cum i-  
*Lydiat.* An ignis subterraneus ubiq; locorum haud deprehendatur, non est,  
glus in Li- qvode ei cum Georgio Agricola & Thoma Lydiato Anglo primas tri-  
bello de Ori- buamus.

*gine fontium.* §. 25. De cætero qvoad fumorum exhalationem à solis &  
*Confer.* hic ignis subterranei calore ortam res fere eodem modo habet, uti cum  
*Schott. Lib.* igne nostro culinari. Quemadmodum enim hic ligno subjectus fu-  
*XI. Phys.* mum excitat tanta sæpè copia in domo, ut putas ipsum Cacum a-  
*curios. c. VI.* bigeum adeste, qvi ab Hercule deprehensus.

*§. 1. seqq.*

Faucibus ingentem fumum (mirabile dictu)

*Virgil. Lib.*

Evomit, involvitq; domum caligine cæca:

*v. 252.* §. 26. Ita etiam terra, sole & igne subterraneo calefacta, magnam vapo-  
rum fumorumq; exhalat copiam, qvam in montibus & convallibus  
præcipue sub vespertino matutinumq; tempus ascendere vi-  
demus.

§. 26. Forma meteori nostri, uti & reliquorum ignitorum est  
duplex, *Communis* altera, altera *propria*. *Communis* est accensio,  
unde meteora dicuntur ignita seu accensa. Qvaritur hic, unde sit  
illa accensio, sive unde fumus, ignorum meteororum materia, ac-  
cendatur? Resp. causa est duplex, *interna* & *externa*. *Interna* est i-  
psa fumi dispositio. Continet enim in se partes præcipue igneas  
& pingues, inflammationi aptas. *Causa externa* seu adjuvans est  
tum motus, tum *avilæcisat*.

§. 27. Ex motu incalescere corpora & inflammari, dubio o-  
mni caret. Experimur enim & sentimus, cultros, quando acuun-  
tur, & propter hoc moventur, calore affici, opera torno elaboranda  
admoto ligno qverno lineis insigniri nigris ex concepto per attri-  
tum calore, & qvod maximè huc facit, faces piceæ nuper extinctæ  
atq; adhuc fumantes, quando in gyrum moventur, igneæq; parti-  
culæ adhuc residuæ in unum veluti congregantur, accenduntur:  
Haud absimilem in modum fumus, ex quo fit *Draco*, si huc atq; il-  
lud agitetur, partesq; in eō igneæ colligantur, amplius incalescit,  
donec in flamnam prorumpat.

§. 28. Inflammationem hanc, uti diximus, multum quoque  
juvat

juvat *avilodēisans*; quando nimirum frigus nocturnum fumum  
circundat, igneæ particulæ veluti hostem fugituræ intrò se recipi-  
unt, & qvia uniuntur, calor augetur, postmodum in sequente ad-  
huc inimico frigore quasi robore collecto in angustias redactus ei  
resistit, donec ex hac mutuâ pugnâ calidæ partes ad concipiendam  
flammarum cogantur.

§. 29. Est autem *avilodēisans* nihil aliud, qvàm coarctatio  
qualitatis alicujus activæ à contraria, quando *scilicet* calor internus  
coarctatur & circumdatur à frigore externo, vel internum frigus  
à calore externo. Propter hanc *avilodēisans* sive propter circum-  
stans & circumdans undiq; frigus homines tempore hyberno, item  
in locis frigidioribus habitantes, nec non natantes, stomachis exi-  
stentibus calidiorib⁹, cibos citius concoquunt, experientiâ teste, sic  
aqvæ puteales item cellæ, templa &c. propter eandem *avilodēisans*-  
sive circumfusum undiq; calorem, contrarium frigus cohiben-  
tem æstate frigidiores existunt, aspides in hyeme locisq; frigidio-  
ribus minùs expedite ferire dicuntur, & qvò calidiores loci, eò no-  
centius est frigidum ipsorum venenum.

*Compton.*  
*Disp. VII.*  
*Phys. sect. 5.*  
*p. 436. seqq.*

§. 30. Forma *Draconis* nostri propria est, qvod veri draco-  
nis, & qvidem volantis speciem præ se ferat. In medio enim fu-  
mus crassior est & ponderosior, in extremitatibus gracilior & didu-  
ctior, ut ita pars *media* ventrem, *prior* caput cum collo, *posterior*  
caudam effigiare videatur *ut cunq;*; Debet enim imaginatio ali-  
qid superaddere.

§. 31. Unde autem hæc curvatura sit qværitur? Communi-  
ter adscribitur nubi frigidæ, qvæ fumum premat & in partes ita  
flectat. Nobis causa videtur esse inæqualis materiæ dispositio, aut  
fieri potest, ut materia crassior tendat dorsum; ignis verò partes  
qvasdam sursum trahat atq; diducat.

§. 32. Volare putatur, *vel* qvia movetur à ventis, *vel* qvia  
mediæ regionis frigore propellitur, *vel* partes subtiliores rarioresq;  
in aëre movent crassiores.

§. 33. Atqve hic *draco*, qvem qvoad causas suas contem-  
plati sumus haðenus, *vel* fumans, *vel* scintillans cernitur. Fumat,  
quando vapor frigidus fortè accedens incandescit postmodumq; fu-  
mum spargit. Scintillas eructat, *vel* qvia nubi frigidæ occurrenti  
B 2 velut

velut hostis resistens & mutuo conflictu cū ea pugnans ex indignatione quasi flamas evomit siccq; horrendam Spectatoribus speciem repræsentat, vel quia movetur vehementius, qvemadmodum ardentia ligna propter causam eandem scintillas disseminant.

§. 34. Dām itaque hujus meteori causas ē natura produximus, naturæ illud opus esse satis, ut speramus, probavimus. Interim negamus nullatenus, Diabolum, summum nequam, aut sub *Dragonis* specie, lamiis, quæ exinde specialiter Drachen Huren Germanis vocantur, apparere, (Novit enim se in mille transformare *Maro Lib.* species, adeò ut, qvod Poëta de Proteo ambiguo canit, ad eundem *IV. Georg.* applicari queat, nimirum lamiis & strigibus  
vers. 406.

Variæ illudunt species atq; ora ferarum,  
Fiet enim subito sus horridus atraq; tygris,  
Squamofusq; draco & fulva cervice Leæna,  
Aut acres flamas sonitu dabit ; & v. 441.  
Omnia transformat sese in miracula rerum,  
Ignemq; horribilemq; feram, fluviumq; liqventem.)

aut huic meteoro præter naturam suam, non quidem semper, accedere, illoq; ad varias abuti præstigias. Quæ præternaturalis consideratio licet huc propriè non spectet, sub adjuncti tamen ratione eandem hic qvoq; subnectemus paucis mediantibus quæstionibus.

§. 35. Qværitur *nimirum* (1.) Cur Diabolus huic meteoro sese insinuare soleat eoq; abuti? Resp. Quia in infimâ aëris regione generatum ad ludendos capiendosq; homines, æq; ut ignis fatuus, imprimis aptum est.

§. 36. Qvær. (2.) Cur mulieribus freqventius, quam viris sub tali schemate dæmon apparere cumq; iis rem habere soleat? Resp. Fit hoc propter sexus fœminei credulitatem & fragilitatem, unde & subdolus Veterator effetas, stupidas, menteq; titubantes vetulas, tanquam infirmiores, aggreditur, qvemadmodum & Evam suæ persuasiōni convenientius Organon, non Adamum, aggressum esse Theologi asserunt, qvod tamen suo loco relictum volumus. Notum qvoq; est, hærefes quam plurimas incrementa ē Gynæco sumisse. Fœminam autem mare, uti in qvolibet animalium genere, ita & qvoad hominem deteriorē esse patet. Est sanè Vir muliere præstantior tūm qvoad corpus, tūm qvoad animum, hinc & in jure

Qvæst. 1.

Qvæst. 2.



jure, qvia mulieres decepti faciles, multa in earum gratiam intro-  
ducta sunt privilegia, iisq; Tutores & Curatores adjungi solent, sine  
qvorum arbitrio & autoritate ipsis nihil fere agere licet. Trahunt huc  
qvidam fabulam de Minervâ sine matre nata, eò qvod à fœmina  
nulla prudentia proveniat.

Qvæst. 3.

§. 37. Qvær. (3.) An, cujus ædibus *Draco volans* insidet,  
pro lamiâ & strige sit habenda? *Reſp.* Indifferenter & universaliter  
hoc affirmari nequit, præcipue cum à ventis commotus hîc qvie-  
scere & circa caminos atq; fenestras amicum sibi locum invenire  
possit, siqvidem calidores è fenestrîs subinde halitus promergunt,  
fumusq; è Caminô, natura sua calidus & pinguis, partibus rariori-  
bus sese associat, easq; non nihil remoratur, ut ita illi insidere, aut  
planè se immittere videatur, atq; exinde nullatenus signum vene-  
ficii depromi queat, licet vulgus plerumq; hîc judicet sinistrè, aqve  
uti non nemini, de quo *Cardanus* habet, contigit propter scintillas *Cardan⁹ L.*  
à dorso petasi iteratâ vice decidentes, qvas ignem lambentem Phy- XIV. Vari-  
fici aliâs vocant. Verba *Cardani* ita habent: *Cuidam amico no-* et c. 69.  
*stro, cum domum venisset, hora prima noctis exacta, in pallii consuetæ*  
*depositiones scintillæ à dorso petasi sparsim profilierunt, iterumq; deposi-*  
*to pallio dum amoveretur, denuo eruperunt, unde geminato timore*  
*percussus est. Infra quindecim dies accusatus beneficij ab inimicis,* et  
*qvesitus, ut occideretur, voluntarium suscepit amicorum consilio exi- lium.*

§. 38. Qvær. (4.) Unde divitias suas apportate soleat? *Qvæst. 4.*  
Etsi nihil certi determinare valeamus, verisimile tamen est, Diabo-  
lum aliquid ex auro argentoq; naufragiis submerso, item thesau-  
ris hominum usurpare posse. Solet autem, uti ex relationibus con-  
stat, plerunq; non tam pecuniam lamiis suis afferre, qvam edulia,  
ut lac coagulatum, item frumenta, unde in horreis agricultoræ sese  
*Draconem* porcorum more frumenta devorantem deprehendisse *Keckerman*  
affirmant, & annotat Keckermannus jūr Dhr/ loco non procul ab *Lib. VI. syst.*  
urbe Dantisco, lodices dealbandi gratia soli expositas, post meri- *Phys. c. IV.*  
diem à *Dracone* anno 1603. esse sublatas. *p. 568.*

§. 39. Qv. (5.) An crucis forma è duabus aristis, messis *Qvæst. 5.*  
tempore, ab agricultoris composita inq; horrei angulo deposita *Dra-*  
*conem* à frugibus depellere valeat, ita ut, quamdiu crux illa maneat  
illæsa

illæsa, tamdiu *Draconi* nihil ex illis auferre liceat. *Reſp.* Crucis  
uſus apud plebejos varius est. Sic frumentorum acervos, panes  
dissēcandos, oscitantium infantum ora, fores ædium in universum  
omnes in Vigilia Walp. contra strigum beneficia crucibus notare &  
inſignire ſolent, cultro item triplice cruce notato tubercula è con-  
tufione orta, qvæſi alii cultri aliaq; instrumenta abſq; hiſce notis  
hoc præſtare neq; veant, deprimunt. Nos ejuscemodi crucibus  
*Vid. Wier.* & figuris omnem vim denegamus, cum ſecundum vulgatum Ca-  
*de Praef.* nonem *Quantitatis nulla ſit efficacia*, & præterea nulla cauſa ap-  
*Dæm. Libr.* pareat, qvâ ratione activæ qualitates & virtutes crucibus hiſce poſ-  
*V.c.13.cujus* ſint in eſſe, ut præternaturales effectus efficere queant. Angelorum  
*titulus: Fi-* præſentia, piâ vita & precibus à DEO impetrata, omnium optimè  
*gurato nul-* fruges & qvicq; id habemus conſervare valet.  
*lam vim in-*  
*eſſe ratione*  
*figuræ. p.550*

## Ne charta hæc relinqvatūr vacua, hæc ſubjicimus.

Corpus Christi pluribus in locis præſens eſſe poſſe, ſi  
non probatur, egregie certe illuſtratur ex eo, qvod unius  
hominis corpus in ſpeculo fracto aut multifariam diſtincto  
in ſingulis partibus repræſentatur, item qvod unius homi-  
nis vox v. g. concionatoris multorum auribus percipitur:  
Qvod ſi itaq; naturaliter hoc procedit, cur non poſſit fieri  
ſupernaturaliter & potentia DEI infinita?

Elephantem omnipotentiā divina per foramen acus  
transire poſſe, nulli dubitamus, cum corpus Christi per ja-  
nuam clauſam intrare potuerit. Non ergo adeo abjeſte  
de infinita & incomprehensibili DEI potentia ſentiamus,  
eamq; rationis noſtræ decempeda mctientes comparemus  
cum noſtra. Deus ſane plus poſteſt, qvam nos intelligimus,  
ſcimus & capimus.

Definitur Iuſtitia à Justiniano, qvod ſit *conſtantis & per-*  
*petua voluntas ius ſuum cuiq; tribuendi*. In qua definitione recte  
qvidem mentio facta eſt voluntatis constantis & perpetuæ,  
ſi qvidem justus ille dicitur, non qui unum forte aut alterum  
justi-



justitiae exercet actum, sed qui semper & constanter vult exerce actus virtutis, etiamsi aliter possit multis illecebris inductus agere:

Non justus omnis abstinenis injuriæ est,  
Sed qui, nocere cum potest, tunc abstinet;  
Nec qui recusat parva, sed qui maximis  
Tentatus animi robur invictum gerit;  
Nec quisquis ista qvolibet præstat modo,  
Sed qui, dolosi nescius fuci, integra  
probitate justus esse, non credi studet. Sunt versus Philemonis à Grotio ex Græco ita Latine versi in florum sparsione ad jus Justin, p. 2. Vitiose vero voluntas Generis loco posita est, qvia definitum (tanquam species) debet esse in eod. prædicamento, in quo est definitionis Genus, qvod hic non observari patet. Dicis per voluntatem h.l. intelligitur habitus voluntatis atq; hoc sensu *justitia* & voluntas sunt in eod. prædicamento. Resp. neque sic juvatur definitio, qvia hæc interpretatio tripliciter est falsa, dum (1.) non ponitur Genus proximum. (2.) Hæc interpretatio est absurdâ, qvemadmodum enim ridicule Physica: defineretur *Physica* est intellectus, i.e. habitus in intellectu existens: albedo est paries, i.e. color in pariete existens. Rusticus est horreum i.e. persona in horreo existens: ita qvoq; voluntas in definitione justitiae minus recte explicatur per habitum in voluntate existentem. Taceo, qvod Aristoteles non in voluntate, sed appetitu sensitivo virtutes collocet, à quā tamen sententia cum orthodoxis Theologis accuratiores Philosophi recedūt, (3.) Definitio sic non est propria, sed Metonymica. Fatum itaque est cum Grotio in flor. spars. ad Jus Justin. p. 2. hanc Definitionem, ut plerasq; JC. talem esse, ut rem non male exprimat, non tamen exactam ad dialecticam subtilitatem. Potest autem paulum immutatis verbis ita formari:

*Justitia*

*Justitia est virtus, qua quis voluntate constante & perpetua suum cuique  
vult tribuere.*

Vitiosa quoque est Jurisprudentiae definitio ab eodem Justiniano vel potius Ulpiano tradita: *Jurisprudentia est di-  
vinarum atque humanarum rerum notitia, justi atque injusti scientia,* propter duplex appositorum genus, quorum neutrum tamen est legitimum. Rectius proinde ita, retentis tamen non nullis vocibus, Jurisprudentiam definiri posse putamus: *Jurisprudentia est prudentia, qua scitur, quid circa res divinas & humanas sit justum, quid injustum.*

Ludit autem Scioppius, quando Consult. 2. de scholar. & studior. ratione scribit: Jureconsultos ideo *Juris Utriusque Doctores* audire, quod Jurisprudentia sit justi & injusti (juris) scientia.

Virum fœminâ tunc quoad corpus, tunc quoad animam nobiliorem esse in confesso est, unde sunt, qui statuunt, hominem respectu maris & fœminæ genus esse analogum: Et propter hanc nobilitatem, quam Vir præ fœmina habet, rectè colligitur, hanc illi subjectam esse debere. Suo autem loco relinquisimus, quod non nemo statuit, ideo mulieribus capillorum resectionem ab Apostolo esse interdictam, ut mariti inveniant, unde immorigeras uxores trahere ac ligare possint.

Vulgus, negante experientia, affirmat, quod i devolantem Draconem viderit, brevi esse moriturum. Nos sane quosdam adhuc superstites novimus, qui jamdudum dracones volantes viderunt.

*Scientia non est singularium.* Sensus hujus Canonis est: In disciplinis non agitur de singularibus, sed universalibus, sic non agitur in Physica de hac vel illa planta, de arbore in hoc vel illo horto, sed de arbore in genere. Alias demonstrationem adeoque scientiam de singularibus haberi posse non negamus.

F I N I S.

cuiq<sub>3</sub>

dem

di-

ntia,

nen

on-

us :

us &

lar.

iusq<sub>3</sub>

(ris)

nam

ho-

Et

re-

rem

bus

ut,

cli-

an-

ane

co-

est:

us,

e in

on-

SKTH 493

nc

KOMA



